

multo magis Christus concedit matri suae omnia quae pro nobis supplicando petit. Illam ergo adaequamus, et per illam omnia impetrabimus. Nec enim Christus confundet et pudefaciet faciem matris suae, uti saepe inculcat S. Bernardus; nec enim ipsa aliquid petit aut petere potest, quod sit praeter dignitatem filii et suam.

VERS. 22. 22. POSTULA EI ET REGNUM, — *q. d.* Si postulas Abisag dari uxorem Adoniae, postulas ei regnum. Ipse enim ambit uxorem patris nostri regis Davidis, ut per eam quasi reginam elevetur in celsitudinem regiam, fiatque rex; praesertim quia ad hoc ei auxiliatur Abiathar Pontifex, et Joab dux militiae. Ita Rupertus et alii.

VERS. 23. 23. MISITQUE REX SALOMON PER MANUM BANAE, — hoc est, misit Banaïam, ut per manum ejus occideret Adoniam. Est hebraismus. Cajetanus asserit Salomonem peccasse temeritate iudicii, quod unico iudicio fratrem laesae majestatis damnavit, nisi tamen id moris fuerit. At vel unicum, ait Sarrarius, si id certum sit, hodie sufficiat, praesertim ubi periculum est regi, ne regno ab semulo privetur, uti hic erat. Adde Salomonem hic punivisse primam regni invasionem factam ab Adonia, qua se curaverat ungi et coronari regem. Licet enim Salomon illam ei condonasset, tamen id fecit sub conditione, si deinceps sibi foret fidelis, ac domi quiete se continens nullam deinceps ambitionis et affectu regni de se daret suspitionem; quod si illam daret, puniretur non tantum ob suspicionem, sed et ob invasionem regni praeteritam. Adoniam autem postulas Abisag uxorem, justam dedit Salomoni occasionem suspicandi ipsum rursus ambire regnum. Cur enim inverecunde et arroganter contra legem naturae et divinae postulavit reginam uxorem patris sui, nisi ut per eam thronum patris occupet, fiatque rex? quare jure merito plexus est a Salomone. Timebat enim Salomon eum, utpote ambitiosum et inquietum, semper res novas moliturum, et ad regnum jure primogeniturae sibi debitum aspiraturum: quare se eo vivente nunquam in regno fore secunum. Occidit ergo eum ut sibi securitatem et regno quietem pareret. Vide hic rursus quam David infelix fuerit in filiis. Amnon enim viliavit Thamar, Absalom eum occidit et patri rebellavit, Adoniam ambivit regnum, ideoque a fratre interemptus est. Fuit haec praepa, et poenitentia Davidi ob adulterium et homicidium Uriae a Deo inflata, II Regum. xii, 10, dicente: «Quamobrem non recedet gladius de domo tua.» En modica brevisque voluptas quantas ei peperit clades, ac quantum calamitatum post se syrta caudamque protraxit.

VERS. 26. 26. ABIATHAR QUOQUE SACERDOTI (pontifici) DIXIT REX: VADE IN ANATHOTH AD AGRUM TUUM, EQUIDEM VIX MORTIS ES, — *q. d.* Mereris occidi, quia contra me conspirasti cum Adonia, eumque in regem unxisti. Ego tamen te non occidam, quia pontifex Davidi patri meo fidelis exististi; sed tantum

a Jerusalem te ablegabo, ne in ea rursus res novas inter fratres et civis meos contra me moliaris. Vade ergo ad agrum tuum in Anathoth, ibique quiesce et res tuas age, nec rebus meis et regni te deinceps immisce. Porro hoc ipso Salomon indirecte exautoravit et privavit Abiathar pontificatu, quia pontifex debebat residere Hierosolymis, ut sacerdotum in templo ministrantes dirigeret, Synagoga et concilio Sanhedrim praesideret, regi foret a consiliis, populum doceret, etc. Quare ablegato Abiathar, Salomon surrogavit ei Sadoc.

27. UT IMPLERETUR SERMO DEI, QUEM LOCUTUS EST VERS. 21. SUPRA DOMUM HELI IN SULO, — I Reg. cap. ii, 30, ubi Deus minatur Heli et posteris ejus privationem vult, aequae ac pontificatus, additque vers. 35: «Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem,» scilicet Sadoc. Igitur Salomon vir sapiens usus has occasione rebellionis Abiathar, ex Dei instinctu has ejus contra Heli minas, hocque ejus de Sadoc in pontificatum restituendo promissum implevit, itaque pontificatum a familia Ithamar et Heli, ex qua erat Abiathar, ad primævam et genuinam Eleazar stirpem, ex qua erat Sadoc, reduxit. Fecit hoc in poenam peccatorum tum Heli, tum Abiathar; hic enim reus erat capitis et laesae majestatis, quia faverat Adoniae contra Salomonem, qui a Deo et a patre Davide constitutus erat rex: quare eum ejecit in exilium, sed honestum; misit enim eum in patriam ad praedia sua, ut ibi vitam, quam ei condonabat, quiete traderet. Nemo ergo hinc concludat (!) Imperatores et Reges habere jus in Pontifices, ut eos creare et exautorare possint. Nam Salomon exautoravit Abiathar auctoritate non sua, sed Dei. Deus enim primitus Aeroni, indeque Eleazaro quasi primogenito, ejusque posteris pontificatum assignavit. Inde deviauit pontificatus ad Heli, qui erat ex Ithamar, jussit ergo Deus eum reduci ad familiam Eleazar, puta ad Sadoc; idque fecit Salomon instinctu jussuque Dei, non ut Rex, sed ut Propheta, ut divinae justitiae executor, uti ostendit Bellarminus, lib. II De Pontif. cap. xxix. Adde, nunc in lege nova longe sanctorum et sublimior est pontificatus, quam fuerit in lege veteri: quare etiam si tunc pontifex fuisset subditus regi, ut censet Abulensis, jam tamen non est, quia Pontifex est jam vicarius Christi, qui est Rex regum, et Dominus dominantium. Vide dicta Numer. xxvii, 21.

28. VENIT AUTEM NUNTIVS AD JOAB (eo) QUOD JOAB DECLINAVISSET POST ADONIAM, ET POST SALOMONEM NON DECLINAVISSET, — ita legendum cum Hebraeo, Chaldaeis, Septuaginta, Romanis et ceteris: perperam ergo in Regiis et aliis nonnullis legitur: Venit autem nuntius ad Salomonem. Sensus est, *q. d.* Venit nuntius ad Joab, nuntians ei occisum esse Adoniam, ut ipse qui faverat Adoniae, et cum

(!) Ut Anglicani et Puffendorf, qui ex hoc asserunt reges habere auctoritatem supra sacerdotum etiam in exercitio muneris sacerdotalis.

eo contra Salomonem conjurarat, fuga sibi consuleret, ne ipse quoque ut socius et particeps conjurationis Adoniae occideretur a Salomone.

POST SALOMONEM, — ita legendum cum Septuaginta Romanis et ceteris. At vero Hebraeus et Chaldaeus jam habent, post Absalomem, quod Vatablus sic explicat, *q. d.* Joab etsi initio fuerit Davidi fidelis, nec declinavit post Absalomem; tamen postea fuit infidelis, quia cum Adonia conjuravit contra Salomonem, qui a Davide constitutus erat rex. Alii censent Salomonem vocari Absalomem, eo quod Absalom Hebraice idem sit quod pater pacis: Salomon vero idem sit quod pacificus, ideoque pater et arbiter pacis. Sic Ochiasius per metathesin dicitur est Joabraz.

Verisimilius est Hebraea et Chaldaea moderna esse corrupta, ac S. Hieronymum in Hebraeo propter Absalomem, legisse post Salomonem. Sic enim legitur Septuaginta, et antithesis id exigit. Ita Sanchez.

VERS. 30. 30. NON EGREDIAR. — Sperabat Joab quod loci sanctitatis eum tutaretur, nec Salomonis religio permitteret eum ibidem occidi, ideoque eo egredi noluit. Sed eum defellit opinio: ob scelorum enim atrocitatem ibidem occisus est.

VERS. 31. 31. FAC SICUT LOCUTUS EST, ET INTERFICE EUM, — in tabernaculo, ex quo Joab egredi non vult, sed in eo occidit et mori. Homicida enim voluntarius, qualis erat Joab, dolose occidens Abner et Amasam, non gaudebat impunitate et immunitate loci sacri, juxta illud: «Si quis per industriam occiderit proximum suum et per insidias, ab altari meo evelles eum, ut moriatur,» Exodi cap. xxi, 14. Multo magis id scitum est lege, non divina, sed humana in novo Testamento, in qua Christiani sanctiores esse debent Judaeis, et ab homicidio spontaneo magis alieni. Vide cap. in-

ter alia, De Immunit. Ecclesiarum, ac Francisco Suarez, tract. De Immunit. Eccl. cap. ix et x. Porro tunc non erat lata lex quod tabernaculum pollueretur caede humana, sicut jam lata est ut Ecclesia Christiana, in qua commissa est caedes, censeatur polluta, iterumque debeat benedici. Nec juste, ait Salianus, fuso sanguine profanari poterat altare illud, quod perpetuo solebat sanguine oruentari: tota loci violatio consistebat in vi, quae directe loci privilegium irritabat; inde enim Asylica certum est, quod ab eorum quasi sinu reos abstrahere non liceret. Ideoque recte credidit Salomon perinde esse Joabum ad aram occidere, vel eum inde extractum alibi jugulare; utrovic enim modo locus violabatur, nisi legis dispensatio intervenisset, quae hic ob scelorum enormitatem non requirebatur, ut dixi.

44. REDDIDIT DOMINUS MALITIAM TUAM IN CAPUT VERS. 44. Tuum, — *q. d.* Fecit Deus ut poena malitiae et maledictionis, qua maledixisti patri meo Davidi, in caput tuum noxium recideret. Ita enim omnia disposuit, ut tu poenam mortis a me tibi propositam, si Jordanem transires, acceptans, tua te sententia condemnaris, et transiendo Jordanem reum mortis effeceris. Duplici ergo titulo Semel reus erat mortis. Primo, quod Jordanem contra praecipitum Salomonis sub poena mortis datum et a se acceptatum transgressus esset. Ita Theodoretus, Josephus, Sarrarius et alii. Secundo, quod Davidi maledixisset, et hoc maxime hic punire ex patris praecipito intendebat Salomon; sed tamen patris David pater per omnem suam vitam ei veniam dederat, noluit Salomon eam a patre datam simpliciter mutare, sed honesta conditione limitare, quam quia violavit Semel, hinc Salomon veniam patris abrogavit, ac Semel culpam et poenam revocavit.

CAPUT TERTIUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon postulans a Deo sapientiam impetrat. Mox, vers. 16, item duarum puerperarum de filio viventis litigantium mira sagacitate dirimit, itaque summam sibi auctoritatem et gratiam apud omnes conciliat.

1. Confirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, et affinitate conjunctus est Pharaoni regi Aegypti; accepit namque filium ejus, et adduxit in civitatem David, donec compleret aedificans domum suam, et domum Domini, et murum Jerusalem per circuitum. 2. Attamen populus immolabat in excelsis; non enim aedificatum erat templum nomini Domini usque in diem illum. 3. Dilexit autem Salomon Dominum, ambulans in praecipitis David patris sui, excepto quod in excelsis immolabat, et accendebat thymiam. 4. Abiit itaque in Gabaon, ut immolaret ibi; illud quippe erat excelsum maximum: mille hostias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud in Gabaon. 5. Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis ut dem tibi. 6. Et ait Salomon: Tu

fecisti cum servo tuo David patre meo misericordiam magnam, sicut ambulavit in conspectu tuo in veritate, et iustitia, et recto corde tecum: custodisti ei misericordiam tuam grandem, et dedisti ei filium sedentem super thronum ejus, sicut est hodie. 7. Et nunc, Domine Deus, tu regnare fecisti servum tuum pro David patre meo; ego autem sum puer parvulus, et ignorans egressum et introitum meum. 8. Et servus tuus in medio est populi quem elegisti, populi infiniti, qui numerari et supputari non potest prae multitudine. 9. Dabis ergo servo tuo cor docile, ut populum tuum judicare possit, et discernere inter bonum et malum; quis enim poterit judicare populum istum, populum tuum hunc multum? 10. Placuit ergo sermo coram Domino, quod Salomon postulasset hujuscemodi rem. 11. Et dixit Dominus Salomoni: Quia postulasti verbum hoc, et non petisti tibi dies multos, nec divitias, aut animas inimicorum tuorum, sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium, 12. ecce feci tibi secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens et intelligens, in tantum ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit. 13. Sed et hæc quæ non postulasti, dedi tibi: divitias scilicet, et gloriam, et nemo fuerit similis tui in regibus cunctis retro diebus. 14. Si autem ambulaveris in viis meis, et custodieris præcepta mea, et mandata mea, sicut ambulavit pater tuus, longos faciam dies tuos. 15. Igitur evigilavit Salomon, et intellexit quod esset somnium; cumque venisset Jerusalem, stetit coram arca fœderis Domini, et obtulit holocausta, et fecit victimas pacificas, et grande convivium universis famulis suis. 16. Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad regem, steteruntque coram eo; 17. quarum una ait: Obsecro, mi domine, ego et mulier hæc habitamus in domo una, et peperit apud eam in cubiculo. 18. Tertia autem die postquam ego peperit, peperit et hæc; et eram simul, nullusque alius nobiscum in domo, exceptis nobis duabus. 19. Mortuus est autem filius mulieris hujus nocte, dormiens quippe oppressit eum. 20. Et surgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, et collocavit in sinu suo; suum autem filium, qui erat mortuus, posuit in sinu meo. 21. Cumque surrexissem mane ut darem hæc filio meo, apparuit mortuus: quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non esse meum quem generam. 22. Responditque altera mulier: Non est ita ut dicis; sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. E contrario illa dicebat: Mentiris; filius quippe meus vivit, et filius tuus mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coram rege. 23. Tunc rex ait: Hæc dicit: Filius meus vivit, et filius tuus mortuus est. Et ista respondit: Non; sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit. 24. Dixit ergo rex: Afferte mihi gladium. Cumque attolissent gladium coram rege. 25. Dividite, inquit, infantem vivum in duas partes, et date dimidiam partem uni, et dimidiam partem alteri. 26. Dixit autem mulier cujus filius erat vivus ad regem (commota sunt quippe viscera ejus super filio suo): Obsecro, domine, date illi infantem vivum, et nolite interficere eum. E contrario illa dicebat: Nec mihi nec tibi sit, sed dividatur. 27. Respondit rex, et ait: Date huic infantem vivum, et non occidatur; hæc enim mater ejus. 28. Audivit itaque omnis Israel iudicium quod judicasset rex, et timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.

Vers. 1. AFFINITATE CONJUNCTUS EST PHARAONI REGI ÆGYPTI: ACCIPIT NAMQUE FILIAM EJUS, — in uxorem. Eupolemus apud Eusebium, lib. IX *De Prepar.* cap. ult., asserit Pharaonem hunc fuisse eum, qui cognominatus est Vaphres, qui diversus est, et longe anterior Pharaone Vaphres, sive Ephree, vel Apries, qui fuit nepos Pharaonis Nechao occisoris Josie regis Juda, ultimusque Pharaonum, utpote a Nabuchodonosor victus et subactus, ut dixi *Jerem.* XLV, vers. 30.

Voluit Salomon per hoc matrimonium devin-

cire sibi Pharaonem, utpote regem vicinum et potentem, cujus ope regnum suum stabiliret, illudque contra Chaldeorum, Assyriorum, Medorum, etc., vim et potentiam tueretur.

Porro licitum fuit hoc matrimonium fidelis eum infideli, tum quia Deus expresse tantum veterat Judæis ne ducerent in uxores filias Chananæorum, a quibus majus perversionis et idolatriæ periculum, non autem cæterarum gentium, etsi id quoque sibi non placere ob simile periculum satis ostendebat, ut patebit cap. XI, vers. 1.

tum quia verisimile est Ægyptiam hanc sponsam Salomonis ad judaismum esse conversam: quo facto licitum erat eam ducere; hoc enim permittit Deus *Deuter.* XXI, vers. 20 et sequent. Sic enim Salomon jam duxerat Naaman Ammonitidem, et David filiam Tholmai regis Gessur, et Booz Ruth Moabitidem, et Salmon Raab Jeruchuntinam, et Joseph filiam Palipharis Ægyptii, et Moyses filiam Jethro Madianitidem. Ita Abulensis, Pineda, Serarius, Sallanus, Sanchez et alii. Minus recte ergo Hebræi in *Solus-Olam*, Theodoretus et Procopius, censent Salomonem peccasse ducendo alienigenam, eo quod Deus id vetuisset *Erod.* XXXIV, et *Deuteron.* VII, 3.

Putant Hebræi harum nuptiarum Salomonis eum filia Pharaonis epithalamium concini in *Cantico Canticorum*; sed errant, uti in *Cant.* ostendi. Fateor tamen ibidem ad eas alludi, ut cum ait *Cant.* I, 8: « Equitatus meo in curribus Pharaonis assimilavi te. » Et cap. III, 11: « Egredimini, et videte, filie Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis illius; » que licet ad litteram competant nuptiis Christi cum Ecclesia, alludunt tamen ad connubium Salomonis cum Ægyptia, quod illarum fuit typus.

Denique Salomonem hæc Ægyptiam duxisse anno regni sui primo, vivente adhuc Davide, opinatur Josephus, Serarius et Sanchez, licet Abulensis, Cedrenus et Sallanus in annum tertium id conferant.

Donec completeret edificans domum suam. — Salomon enim post edificatum templum domum propriam edificavit filie Pharaonis, de qua cap. VII, 8; interim locum ei assignavit in palatio suo, quod erat in arce Sion.

Vers. 2. ATTAMEN POPULUS IMMOLABAT IN EXCELSIS; NON ENIM EDIFICATUM ERAT TEMPLUM. — Querens, quanam fuerit hæc excelsa, quorum tam crebra in libris Regum et Prophetarum fit mentio? Respondeo, excelsa erant luci, sive sylvæ et nemora in excelsis montibus, collibus et umbris recessibus consita, in quibus gentes plerumque solebant sacella et altaria erigere, teste Homero, Virgilio et aliis, qui docent veteres in nemoribus sepulcra suis defunctis extruxisse, in quibus primo parentalia celebrabant, sive parentabant heroibus populi, ac mox iisdem quasi diis sacrificare creperunt. Id fecerunt, tum quia loca excelsa cæteris altaria sunt et viciniore caelo, ideoque plus venerationis apud rudem populum obtinent. Unde altare dictum est ab altitudine, quasi *alta ara*, in qua altissimo Deo sacrificatur: et Græcum *βωπέ*, id est excelsum, dictum est ab Hebræo *במה* *Bama*, id est excelsum; quamquam altare proprie non erat excelsum. Nam Scriptura, IV *Reg.* XXII, 13, distinguit inter altare et excelsum, sed potius altare erat in excelso, scilicet colle aut monte. Rursum nemora, quia condensa et silentia, sacrum quemdam horrorem Gentibus injiciebant, qui su-

persitiose censebant ibi habitare deos, quos Satyros et Faunos quasi sylviarum deos nuncupant. Unde templa dicta sunt fana a Fannis; nisi malis a fando, id est oracula dando, nomen sortita. Tertio, sylvæ copiosam suppeditant lignorum materiam ad fabricandum sacella, altaria et strues pyrarum, in quibus victimæ comburantur, idcirco in his excelsa erigebant.

Denique sylvæ, quia frondosæ et amœnæ, excitabant Gentiles ut in eis sacra sua carnalia, quibus Baccho per symposia et crapulam, Veneri et Priapo per luxuriam serviebant, exercerent.

Sic Cyrus et Persæ, teste Xenophonte, lib. VIII, sacrificabant in locis excelsis. Idem de aliis docet Apollonius, lib. II *De Romanis*. Ipsum constat ex Capitolio, in quo colebant Jovem Capitolinum. Audi Virgilium, lib. VIII *Æneid.*:

Hinc ad Tarpeiam sedem et Capitola ducit,
Aurea tunc, olim sylvestribus horrida dumis.
Jam tum religio pavidos terreat agrestes
Dira loci: jam tum sylvam, saxumque tremebat.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoso vertice collem
(Quis Deus incertum est) habitat Deus; Arcades ipsum
Credunt se viderisse Jovem.

Idem Virgilius *Ecloga* 7, arbores proprias, quas Gentiles diis suis in his lucis sacrabant, ita recenset:

Populus Alceid gratissima, vitis Iaccho (Baccho),
Formosæ myrtus Veneri, sua Laurea Phœbo.
Phylis amat Corylos.

Chananæos pariter in excelsis lucis sylvisque suos deos coluisse patet ex eo quod Deus crebro jubet Hebræis ut illas succendant et extirpent, ut patet *Erod.* XXXIV, *Deuteron.* VII, 3, et cap. XII, vers. 2, et cap. XVI, 21: in quibus locis directe quidem et expresse vetat Deus ne excelsa habeant talia qualia habebant Chananæi, in quibus scilicet suos deos falsos colebant; indirecte tamen vetat quoque ne sibi pariter in excelsis sylvis et lucis sacrificent, sed tantum in tabernaculo et altari ad id a se destinato, et a Moysæ fabricato, ac præsertim in templo mox a Salomone fabricando.

Excelsa ergo Hebræorum, de quibus in libris Regum et Prophetarum crebra est mentio, erant duplicis generis. Una in quibus instar Gentium colebant eorum deos et idola. Hæc manifeste erant illicita, quia idolis dicata in Dei vii injuriarum. Unde in ea gravissime involucuntur et detonant Prophete, ut *Jerem.* cap. VII, 31, *Ezechiel.* cap. VI, 3, *Osee* cap. X, 8. Hinc Salomon gravissime peccavit, quod in gratiam uxorum suarum Gentilium earum diis et idolis fecerit lucos et excelsa, ibique eos adoravit, quæ proinde Ezechias rex dissipavit, Manasses ejus filius impius restituit, Josias funditus abolevit.

Alteræ excelsa erant, in quibus Hebræi, non idolis, sed Deo vero sacrificabant. Sic Gedeon in excelsa petra sacrificium Deo obtulit, *Judic.* VI, 26.

Ezechiel duplicia.

Idem fecit Samuel in excelso, I Reg. ix, 49, et Salomon hic sacrificavit in excelso Gabaon, id est in tabernaculo Moysis, quod tum situm erat in excelso et frondoso colle Gabaon.

Porro Deus hæc secunda excelsa non amabat ob periculum gentilitatis et idololatriæ; tolerabat tamen donec edificaretur fixum et stabile templum a Salomone in Jerusalem, nam ante illud tabernaculum Moysis erat mobile, et ab uno loco transportabatur in alium, imo separatim erat ab altari, ut superius dixi. Unde multis incommo- dum erat et difficile in eo sacrificare, ideoque alio loco excelso suas hostias immolabant.

Hinc pii reges, ut Asa et Josaphat, permis- runt excelsa Deo vero erecta: vel si illa erant idolis statuta, permisissent ea, quia ob inveteratam populi idololatriam consuetudinem, metuentes ejus seditionem et rebellionem, illa impedire et tollere non poterunt. Verus tamen est, quod censet Abulensis, *Quæst.* II et V, hos reges tantum permisisse excelsa, in quibus Deo vero sacrificaba- tur, non idolis; quæ tamen non permisissent reges pientiores, sed everterunt; scilicet David, Ezechias et Josias, qui proinde soli et cæteris regi- bus Juda dicuntur non peccasse, *Ecdi.* XLIX, 5. Porro quod Samuel in Ramatha, Bethlehem aliis- que in locis sacrificavit, I Reg. cap. xvi, vers. 4 et 5, ac Elias in monte Carmelo, III Reg. xviii, 23, et David in area Areuna, I Reg. cap. ult. 18; credendum est id eos fecisse ob graves et ur- gentes causas, idque ex Dei instinctu et dispen- satione, ut patet de Davide loco citato.

Hæc de causa, ut scilicet excelsa omnia tolle- rentur, voluit Deus a Salomone edificari tem- plum, in eoque solo sibi sacrificari, ut in uno templo servaretur unitas religionis et Judaismi, ac Judæi plane æreerentur a profanis et excelsis sacrificiis Gentilium. Idem ante templum jusserat Deus fieri in tabernaculo a Moysè fabricato, *Levit.* xvii, 3 et 4. Vide ibi dicta.

Vers. 3. 3. EXCEPTO QUOD IN EXCELSIS (Deo vero dicatis de quibus jam dixi) IMMOLABAT. — Hinc Theodoretus, Procopius, Abulensis et Ribera, lib. I *De Templo*, cap. II, censent ante fabricam templi in excelsis sacrificare fuisse illicitum, et peccatum saltem ve- niale, eo quod hic captatur Salomon quod in excelsis immolavit, esto in cæteris dilexerit Domi- num, et præcepta ejus servavit. Hebræi tamen, Lyranus, Serarius et alii censent id fuisse licitum, non quasi Deo absolute gratum, sed tanquam ab eo concessum et remissum, donec edificaretur templum firmum et stabile. Sic et S. Augustinus, *Question.* XXXV *in Judic.*: «Deus, ait, consue- tudinem populi sui, quæ præter ejus taberna- lum, tamen non diis alienis offerebant, sed Do- mino Deo suo; sustinebat potius quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes.» Post templi vero fabricam excelsa fuere illicita, ideoque David, Ezechias et Josias ea sustulerunt, licet Asa, Ama- sias et Josaphat ea tolerarint metu majoris mali,

ne scilicet si excelsa Dei tollerentur, populus ad excelsa deorum et Gentium, hoc est ad idola de- flecteret. Unde de his dicitur: «Fecit rectum ante conspectum Domini, etc., verumtamen excelsa non abstulit;» cap. xv, 41 et 44, etc.

4. ABIT ITAQUE IN GABAON UT IMMOLARET IBI, — **Vers. 4.** quia in Gabaon erat tabernaculum et altare Moy- sis, unde ibi immolare licebat, ideoque mox vo- catur excelsum magnum, id est maximum et reli- giosissimum, licet area federis non esset in Gabaon, sed e Cariathiarim a Davide translata in Sion, ut disertè dicitur lib. II *Paral.* cap. I, 4 et 5. Nota hic pietatem Salomonis, qui regnum auspiciatur a cultu et invocatione Dei; obtulit enim mille hostias, ut sequitur, ideoque a Deo obtinuit sapientiam tantam, quantum nulli un- quam concessit Deus.

5. APPARUIT AUTEM DOMINUS SALOMONI PER SOM- NIUM NOCTE DICENS: POSTULA QUOD VIS ET DEN TIBI. —

Quæres, quale fuerit hoc Salomonis somnium, et an in eo habuerit usum arbitrii, ut libere postu- larit a Deo sapientiam, ideoque eam impetra- rit?

Quæstio hæc est problema. Multi enim affir- mant, multi negant, et utriusque pro se rationes afferunt probabiles.

Primo ergo nonnulli censent hoc somnium fuisse naturale, ex speciebus diurnis nocti in som- nis naturaliter recurrentibus; aut naturaliter a Deo immisum, ad hoc ut sciretur sapientiam omni- bus hominibus, sed præsertim regibus et princi- pibus ad sapienter gubernandum præ aliis rebus expetendam esse, utpote ad bonum regimen summo necessariam. Ita Abulensis. Quia enim Salomon in Gabaon orans et sacrificans per diem crebro et instanter a Deo flagitavit sapientiam, hinc effecit Deus ut naturaliter nocti ipsi eadem cogitationum species recurrent; ut scilicet Salo- mon dormiens videretur sibi postulare sapien- tiam, Deumque illam ipsi annuere, juxta illud Claudiani:

Omnia que sensu voluntur sensa diurno,
Tempore nocturno rediit amica quæ.

Idemque docet Aristoteles, lib. *De Somniis*, et Hip- pocrates, lib. *De Insomniis*.

Si dicas postulationem hæc Salomonis placuisse Deo, ac ipsum per eam reipsa impetrasse sapien- tiam, respondent illam postulationem a somnis per se non placuisse Deo, quia erat actus som- niantis, non libere postulantis; sed ob aliam Salomonis ejusdem in vigilia sapientie postula- tionem, ex qua illa in somnis ortum habuit, et quasi effectus ex causa, naturaliter profluxit. Ita S. Tho- mas, I II, *Quæst.* CXIII, art. 3, ad 2: «Salomon, ait, dormiendo non meruit sapientiam, nec accepit, sed in somno declaratum est quod præ- cedens desiderium ei a Deo sapientia infunderetur.» Idem repetit *De veritate*, *Quæst.* XXVIII, art. 3, et II II, *Quæst.* CLIV, art. 3, ad 1. Favet S. Au-

gustinus, lib. XII *De Genesi ad litter.* cap. xv, quem citat S. Thomas. Item S. Bonaventura in II, dist. xv, *Quæst.* VI, num. 72; Alensis in IV, *Quæst.* CI, membro 3, art. 3; Richardus, quodlib. I, *Quæst.* XVII; Sanchez, Saliarius, Serarius, Pineda, lib. III *De Salomone*, cap. VIII; Pererius, lib. I *in Daniel.* *Quæst.* VII.

Probatur primo, quia Salomon dormiebat, erat- que in somnio; omnia ergo hæc non revera, sed per somnium ei representabantur.

Secundo, quia vers. 13, disertè ait Scriptura: «Evigilavit Salomon, et intellexit quod esset som- nium.»

Verum contraria sententia non minus est pro- habilis, imo validiores affert rationes, nimirum somnium hoc non fuisse naturale, sed divinum, ac proprie a Deo (licet natura quoque et natura- libus per diem cogitationibus Salomonis Deo sub- servientibus) immisum, ideoque non tam fuisse somnium, quam visionem prophetiam vel ex- stasim, qualis fuit somnus Adæ, cum ex ejus costa Deus formavit Evam, quem Septuaginta vocant extasim: in eo enim Adam Deo revelante cog- novit Christum incarnationem, et Ecclesie ex ejus latere formationem, uti docent S. Augustinus, S. Thomas, Rupertus et alii passim. Tale quoque fuit somnium Abrahæ, *Genes.* xv, 12, in quo Deus Abrahæ revelavit, et promisit magnam posterita- tem et Chananeæ possessionem. Tale quoque fuit somnium Josephi de futuro suo principatu in *Egypto*, *Genes.* xxxvii, 3, et Jacobi, *Genes.* xxviii, 12, ubi Deus in somnis idem ei promisit quod Abrahæ, imo plura.

Probatur primo, quia hoc disertè significat Scri- ptura cum ait: «Apparuit autem Dominus Salo- moni per somnium nocte dicens.» Ergo fuit hæc vera Dei apparitio et locutio, quam Salomon excepit, ut prophete excepiebant Dei oracula per visiones tam nocturnas, quam diurnas; ergo non fuit somnium commune et naturale.

Secundo, quia sequens proluxa narratio recen- set historiam veram, non somniam. Ait enim Deus revera loquens Salomoni: «Postula quod vis ut dem tibi,» ac Salomon respondet proluxe, postulata sapientiam, ac hujus postulationis suæ multas et graves causas affert, idque tam sa- pienter et prudenter, ut vigilans prudentius loqui non potuisset. Ex qua naratione, et ex longi Salomonis sermone ad Deum constat, ipsum habuisse perfectissimum discursum et judicium, cum consideratione divine majestatis, et beneficiorum ejus, et proprie infirmitatis ac necessitatis in illo regio statu, in quo erat constitutus; et ex hoc per- fecto discursu ac judicio petitionem illam Deo proponisse, et ideo illi placuisse.

Tertio, quia vers. 41, Deus Salomoni præmium hujus suæ postulationis tam sapientis et sancte largitur, et votis ejus annuit dicens: «Quia pos- tulasti verbum hoc, etc., ecce feci tibi secundum sermones tuos,» nec tantum hoc, sed et longe

plura adjicit, scilicet divitias, gloriam, longævi- tatem et magnificentiam præ omnibus regibus: quæ omnia ut revera, et non per somnium gesta fuisse et accurate narrat Scriptura, ut vix alio tor- queri possint, ac omne somnium superet et trans- cendant. Et hoc voluit Scriptura dicens vers. 13: «Evigilavit Salomon et intellexit quod esset som- nium,» scilicet non humanum, sed divinum, uti eo versu ostendam.

Quarto, quia revera Deus in somno hoc Salo- moni indidit sapientiam, ut significat Scriptura, nec enim aliud tempus, quo eam acceperit Salo- mon, reperire vel assignare possumus; ergo pari- ter revera Salomon in somno oravit, petitumque sapientiam; nam per orationem eam impetravit, ut dicitur vers. 41 et 42: «Ecce, inquit, feci secundum sermones tuos, et dedi tibi cor sapiens.» Ita sentit Lyranus, Dionysius, Salmeron, tom. III, tract. XXII; Antonius Fernandus, lib. *De Visionibus*, Præluo 7, num. 8 et seq.; Hugo, Glossa, Consalvus Cervantes in *Sapient.* cap. vii, vers. 7, ac fuse et solide Suarez, tomo II *De Religione*; lib. II *De Orat.* cap. xix, ubi docet primo, Deum in somno posse elevare intellectum et phantasiam ad perfectum usum rationis, et ad plenum judicium de veritate sive speculativa sive practica, idque fecisse in somno Adami, *Genes.* ii. Posse enim Deum ita confortare et clarificare phantasiam, et vapores omnes, qui illum in somno impediunt, depellere, ut vere res non tantum apprehendat, sed et recte de his judicare possit, conservatis in- terim sensibus externis in eadem dispositione, quam in somno naturali habent. Accedit S. Am- brosius in *Psal.* cxviii, Octonario 18, in fine, ubi asserit Salomonem «grasse» tunc et «promis- sisse.» Inno Octonario 2, vers. 2, addit: «Ex toto corde exquirens Deum, sapientiam postula- vit, et quæ non opes sibi regias, sed divini munus gratiæ deposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam.» Tertullianus etiam, lib. IV *Contra Marcionem* cap. xv, aperte sentit habuisse tunc Salomonem liberam electionem dicens: «Qua per- missa sibi optione, maluit ea postulare, quæ scie- bat Deo grata, sapientiam, meruit etiam divitias consequi.» Ad eum modum loquitur Eucherius, *Quæst.* II in III lib. *Regum*, dicens Salomonem de- precatum esse Deum, etc.

Denique II *Paralip.* I, 7, ubi eadem hæc historia narratur, nulla somni fit mentio: «Ecce, inquit, in ipsa nocte apparuit ei Deus.» Fuit ergo som- nium hoc vera Dei apparitio et visio, qualem ha- buere ceteri Prophete.

In hæc quoque sententiam tandem propendit S. Bonaventura, Alensis et Richardus, locis jam citatis, dum addunt Salomonem ex divino privi- legio potuisse in somnis uti ratione et mereri, at- que S. Thomas, qui, II, *Quæst.* CXIII, art. 3, ad 2, secundum dat responsum, dicens: «Vel po- test dici quod ille somnus non fuit naturalis, sed somnus proprius secundum quod dicitur *Num.*

cap. xii: Si quis fuerit inter vos propheta Domini, per somnium aut in visione loquar ad eum. In quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet.»

Dices: Somnus impedit usum rationis et liberi arbitrii, quia in somno sopiuntur et quasi ligantur sensus et phantasia, sine quibus ratio non potest libere operari. Respondeo naturaliter, et in somno naturali hoc verum est, at non in supernaturali et divino, quale fuit hoc Salomonis. In eo enim Deus Prophetis infundere potest species sine conversione ad phantasmata somnum non impediens, sicut nec visionem in Christo somnus impediens, qui de se ait *Cant. v. 2*: «Ego dormio et cor meum vigilat.» Sic et B. Virginem dormientem libere Deum amasse, itaque meruisse, censet S. Bernardinus et alii, idque probabile iudicat Suarez, III part. *Quaest. XXXVII. art. 4. disp. XVIII. sect. 2.* Aut potius Deus Ade. Salomoni et Prophetis ita roborabat et clarificabat phantasiam in somnis, ut libere intelligere, eligere et operari possent, ut paulo ante dixi ex Suarez. Hoc enim magis est homini connaturale.

Porro totum hoc somnium Deus Salomoni immisit per Angelum, qui Deum representabat, ac nominatim Deum filium ex Salomonis stirpe incarnandum, ut docent S. Chrysostomus, homil. 16 in *Acta*, S. Leo, S. Ambrosius, Tertullianus, Origenes, Theophylactus, Eusebius, Clemens, Nicophorus et alii, quos citat Pineda, lib. III *De Rebus Salomonis*, cap. vii, num. 4.

Car. Queres, cur ergo hanc visio Salomoni exhibita ^{nocte} fuerit per noctem, non per diem? Respondeo, causa litteralis est, quia per diem Salomon occupatus fuerat in immolatione mille hostiarum. Unde tunc indispositus erat ad hanc visionem; per hostias tamen hasce se disposuit, et dignum reddidit ad visionem hanc recipiendam: quare in premium suae pietatis hanc visionem nocte sequenti, ut pote quiescens, a Deo accepit.

Symbolica causa fuit, quia Deus licet in se sit lux summa et infinita, mens tamen creata, praesertim humana, ad eam caligat; sicut oculus caligat et hebetatur ad intuitum solis. Quare Deus sanctis, praesertim veteris Testamenti, ut Abraham, Moisi, Jacobo apparebat nocte, vel in caligine. Unde S. Dionysius, lib. *De Mystica Theolog.* docet eum qui Deum vult contemplari, ingredi debere eum quod Mose in caliginem, qua Deus legitur et ve-latur.

Mystice S. Gregorius, lib. II *Moral.* cap. II, notat noctem signum esse mali omnino et infernalis exitus: «Non rediturus, inquit, ad venum Judas, quod ad traditionis perfidiam nocte exisse perhibetur, dicente Joanne cap. xiii: Erat autem nox. Et iniquo diviti dicitur *Lucas XII*: Hac nocte repetent animam tuam abs te; anima quippe quae ad tenebras ducitur, non in die repeti, sed in nocte memoratur. Hinc est quod Salomon, qui sapientiam non perseveraturus accepit, in somnis hanc et nocte accepisse describitur.» Hinc Gre-

gorius, ex quo Rupertus, Eucherius et alii eadem descriperunt.

Addit Rupertus carpitque Salomonem, quod sapientiam, non sanctitatem petierit: «Tamen in eo, inquit, reprehensibilis est, quod data sibi optione tam prona ad dandum largitate Domini bonum illud, quod verum et summum est, non postulavit.»

Verum hoc bonum includitur in sapientia, quam postulavit Salomon, uti docet S. Ambrosius in *Psal. cxviii.* ad illa: «In toto corde meo exquisivi te.» Unde *Sapient. ix.* Salomon postulans a Deo sapientiam ait: «Ut sciam quid acceptum sit coram te omni tempore,» de quo mox plura.

7. EGO AUTEM SUM PUEER PARVULUS. — *q. d.* Sum valde juvenis, rudis et inexpertus, ideoque quasi puer ad tantum onus, scilicet ad regimen tanti populi Israelis, ex me inidoneus: Salomon enim hoc tempore erat viginti annorum, ut superius dixi: unde explicans subdit.

IGNORANS EGRESSUS ET INTROITUM MEUM. — Est Hebraica phrasid significans omnes hominis actiones, *q. d.* Nescio quo modo me gerere debeam in administratione tanti regni. Unde II *Paralip. I. 10.* ait: «Da mihi sapientiam et intelligentiam, ut ingrediar et egrediar coram populo tuo,» quasi ejus rex et pastor. Chaldaeus verit: *Non ego scio egredi nec ingredi.* Alludit ad puerum (quem se vocavit) qui docente matre, discedit et ingredi in domum.

9. DABIS ERGO SERVO TUI COR DOCTILE — id est doctrinam excipiens, quod scilicet doctrinam, id est prudentiam et sapientiam, a te audiat et in se hauriat, puta cor prudens, intelligens et sapiens: Hebraice est, *cor audiens*, quod nimirum audiat et accipiat sapientiam. Unde II *Paral. I. 10.* hoc explicans ait: «Da mihi sapientiam et intelligentiam.» Et hic vers. 11, respondens ei Deus dicit: «Postulasti tibi sapientiam,» etc.

Porro Salomon postulans hic sapientiam proprie postulat prudentiam, qua sapienter tam se quam totum populum regere possit, ut scilicet prudenter omnes suas actiones instituat, tum privatas, tum publicas, juxta legem et voluntatem Dei. Unde *Sapient. cap. ix. 4 et 10.* explicans hanc suam sapientiae postulationem ait: «Da mihi sedium tuarum assistentem sapientiam, etc., ut mecum sit, et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.» Causam subdit vers. 17, dicens: «Seisum tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimi?» Vide ibi dicta. Sapientia enim in libris Sapientialibus praecipue practicae sive ethicae significat, quae docet nos sapienter, id est iuste sanctoque vivere, quae proinde *Sapient. x.* vocatur «scientia Sanctorum,» et *Lucas I.* «prudentia iustorum.» Deus tamen qui suorum preces superat et vota, longe ampliolem sapientiam Salomoni concessit, ut jam dicam.

12. DEDI TIBI COR (id est mentem) SAPIENS ET IN-

TELLIGENS (Chaldaeus, et *considerans*; Septuaginta, et *peritum*) IN TANTUM UT NULLUS ANTE TE SIMILIS TUI FUERIT, NEC POST TE SURRECTURUS SIT. — II *Paral. I. 12.* dicitur, «Sapientia et scientia data sunt tibi.» Per quae primo, intellige Ethicam et Politicam, ad gubernandum tam se quam populum: hanc etiam praecipue postulabat Salomon. Secundo, Physicam, Medicinam, Logicam, Rhetoricam, Poeticam, Mathematicam; Architectonicam (haec enim egebat ad fabricandum templum) omnesque scientias et artes naturales. Haec enim ab Hebraeis vocantur sapientia, ut patet *Exodi* cap. xxxi, vers. 3. Nam de his ipse ait, *Sapient. cap. vii.* vers. 17: «Ipse enim dedit mihi horum, quae sunt, scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum, et virtutes elementorum, initium et consummationem et medietatem temporum, vicissitudinum permutationes et commutationes temporum, anni cursus et stellarum dispositiones, naturas animalium et iras bestiarum, vim ventorum et cogitationes hominum, differentias virgultorum, et virtutes radicum, et quaecumque sunt absconsa et improvisa didici: omnium enim artifex docuit me sapientia.» Tertio, sapientiam et prudentiam supernaturalem fidei mysteriorum, imo et donum prophetiae. Salomonem enim exitum fuisse Theologum patet ex ejus Proverbiis et Sapientia: Prophetam quoque existisse patet *Proverb. cap. xxxi.* vers. 1. Vide ibi dicta. Horum ergo omnium scientiam infusam a Deo hac nocte accepit Salomon, idque in gradu valde intenso, ut eorum oblivisci non posset. Ita Abulensis, Serarius, Pineda, Sallianus et alii. Addit Josephus, Salomonem a Deo didicisse exorcismos ad conjurandum expellendumque demones, et alia plura, quorum meminit Origenes, tractat. 33 in *Matth.*; Justinus, Dialog. *De Veritate Christiana Relig.*; Epiphanius in *Haeresi Ethonitarum.* Vide Baronium anno Christi 56, et Sixtum Senensem in *Biblioth.* verbo *Salomon.* Unde nonnulli putant Salomoni inditam gratiam gratis datam, ad componendum exorcismos, quibus pelleretur demon. Addidit Josephus Salomonem incantationes ad morbos abigendos composuisse, quod est magicum; sed Josephus per incantationes forte accepit preces, quas postea vulgus superstitione vertit in incantationes vel carmina magica.

Addunt, vel potius fabulantur Rabbinii Salomonem cognovisse garrulus avium, latratus canum, ceterarumque bestiarum voces et sermoneationes intellexisse. Verum, quis intelligat brutorum voces, quae ratione et intellecta carent? frustra ergo id de se jactant magi.

UT NULLUS ANTE TE SIMILIS TUI FUERIT. — Salomon ergo sapientia superavit non tantum Trismegistum, Orpheum, Homerum, Platonem, Solonem, Lycurgum, Aristotelem omnesque Graecorum, Aegyptiorum, Chanaeorum, etc., sapientes, utpote quorum sapientia fuerit studio acquisita, cum Salomoni fuerit a Deo immediate infusa;

sed etiam Abraham, Moysen, Davidem, Adamum, saltem post lapsum. Etsi enim hi certis in rebus excelluerint ut Abraham in eminenti fide, Moyses in accipiendis a Deo legibus, David in psalmis dictandis, tamen Salomon eo superavit amplitudine sapientiae, quia omnem omnium complexus est, ac Christum Dominum, ejusque sapientiam, unionemque cum S. Ecclesia, ad vivum tam verbis quam factis expressit.

NEC POST TE SURRECTURUS SIT. — Hinc recte infert Abulensis Salomonem sapienter fuisse non tantum Adamo et Moysae, sed etiam Prophetis et Apostolis, solumque Christum excipit, ejusque matrem B. Virginem, licet de ea dubitet Suarez, tomo II, disput. XVIII, sect. 5. Idem asserit S. Hieronymus in cap. III *Ephes.* vers. 8: «Salomonem, inquit, omnibus Apostolis sapienter fuisse, ut retro Patriarchis vis divina pollicita est, qui de se ipso quoque loquitur confidenter: Deus docuit me sapientiam et intellectum sanctorum cognovi,» *Sapient. cap. vii.* Intellige in rebus naturalibus et politicis, nam in mysteriis fidei et Evangelii Salomonem sapienter erit Paulus et Apostoli. Lyranus tamen, Dionysius et Pererius, lib. V in *Genes. Quaest. III.* censent hic Salomonem dici sapienter omnibus, sed ita ut pauci aliqui excipiantur, scilicet Apostoli, etc. Alii hic limitant: «Nullus similis tui,» scilicet in regibus: sed hoc nimis est arctum. Alii cum Serario melius sic: «Nullus,» scilicet eorum qui humano studio suaque industria sapientes evaserunt, «similis erit tui,» qui cum accepisti a Deo infusam: quare hic non fieri comparationem cum Adamo, B. Virgine et Apostolis, quorum sapientia fuit a Deo infusa. Vide Pinedam, lib. III *De Salam.* cap. viii, qui et addit Salomoni cum sapientia datum fuisse Spiritum Sanctum, id est majorem gratiam et sanctitatem: hanc enim ipse in sapientia et cum sapientia praecipue postulabat. Audi Remigium, qui ad illud *Coloss. cap. II.* vers. 9: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, sic scribit: «Alius habitat in singulis electorum, aliter in Christo: quia illis datur spiritus ad mensuram, in illo autem plenter habitat. Habitat enim in Salomone per sapientiam, in Daniele per castitatem, in Prophetis per sanctitatem, in Moysae per mansuetudinem; in Christo vero per omnem virtutem et innocentiam.»

13. SED ET HEC, QUAE NON POSTULASTI, DEDI (id est dare decrevi et illico sensim dabo) TIBI, DIVITIIS SCILICET ET GLORIAM, UT NEMO FUERIT SIMILIS TUI IN REGIBUS CENSITIS RETRO DIEBUS. — Hinc Abulensis putat Salomonem superasse opibus et gloria Nemrod, Ninum, Suleim, Davidem ceterosque reges anteriores, non autem posteriores, qui Salomonem secuti sunt, ut fuit Alexander Magnus, Julius Caesar, Augustus. Verum Serarius et alii melius censent Salomonem omnibus omnino regibus tam futuris, quam veteris antefieri, om-

nesque superasse opibus et gloria. Nam II Paral. cap. 1, vers. 12, clare dicitur: «Divitias autem et substantiam et gloriam dabo tibi, ita ut nullus in regibus, nec ante te nec post te fuerit similis tibi:» ubi ex Hebræo veritas: *Et gloriam qua non fuit sibi (similis) regibus ante et post te non erit sic, id est similis tui.*

Moraliter, discite hic quantum bonum Deique donum sit sapientia, quamque cæteris omnibus antefereendum, imo cætera omnia secum adducat, atque illud comparari oratione magis quam studio. Auctor enim datorque sapientie est Deus, qui est pater luminis, *Jacobi* cap. 1, vers. 5 et 17. Vide ibi dicta; et S. Augustinus, *Prefat.* in lib. I *De Doctrina Christiana.*

43. IGITUR EVIGILAVIT SALOMON, ET INTELEKIT QUOD ESSET SOMNIUM. — Vatablus et alii exponunt, *q. d.* Evigilans Salomon recordatus est sui somnii, sive se somniasse de sapientia, puta non fuisse rem veram, sed somnium fugax, mendax et evanidum. Verum hoc dici nequit: Salomon enim vere hic adeptus est sapientiam, ut patet ex verbis *Scripturæ* vers. 42: «Dedi, inquit, tibi cor sapiens et intelligens,» etc., quare hic sensus directe adversatur *S. Scripturæ*, eamque elidit et evertit.

Dico igitur: «Evigilans Salomon intellexit quod esset somnium,» scilicet non naturale, sed supernaturale et divinum, puta visio realiter et efficaciter una cum re ipsa, scilicet cum sapientia a Deo immissa sibi que indita. Unde Hebræus, *Septuaginta* et Chaldeus habent: *Igitur evigilavit Salomon, et ecce somnium, scilicet consecutum est effectum suum, ac verum apparuit, q. d.* Salomon evigilans vidit revera se sapientem effectum sicuti somniarant, id est sicut dormiens per visum divinum viderat. Vidit enim omnium rerum species menti sue sese ingrentes et obvolvantes, quibus clare res quaslibet perspiciebat, quas ante non cognoverat; intellexit ergo somnium hoc fuisse reale et verum, utpote supernaturale, et a Deo simul cum re somniata immissum. Unde mox intricatam meretricium litem sapientissime diremit, ac cætera omnia sapientissime administravit, ut patet ex sequent. Ita Suarez, Serarius, Pineda.

Similia somnia non somniata et falsa, sed realia et vera exstant in *S. Scriptura*, ut cum *S. Petrus* ab Angelo liberandus et carcere, jubebatur se vestire et exire, «existimabat se visum videre,» et somnare, *Act.* cap. xii, vers. 9, et tamen vere se vestiebat et exibat. Sic Hebræi et Babylone liberati redeuntes in Jerusalem, dicunt: «In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus sicut consolati,» Hebræus, *sicut somniantes, q. d.* Adeo lætus, novus, mirus et inexpectatus fuit nobis reditus ab exilio in patriam, ut videretur esse somnium, ut non revera redire, sed reditum somnari nos putaremus. Sic Salomon hic evigilans videbatur sibi somniasse; sed mox vidit somnium verum esse in rem veram. Sic *S. Hieronymus* in somnio corruptus a Deo quod *Cicronem* præ

S. Scripturas legeret, audiensque: «Cicronianus es, non Christianus,» acriter vapulavit et flagellatus est, non per somnium, sed reipsa. Audi eum, *epist.* 48 *ad Eustochium*: «Nec vero sapor ille fuerat, aut vana somnia, quibus soepe deladimus, testis est tribunal illud ante quod jacui: testis iudicium triste, quod timui. Ita mihi nunquam contingat in talem incidere questionem. Viventes fat-or habuisse me scapulas, plagas sensisse post somnium, et tanto dehinc studio divina legisse, quanto non ante moralla legeram.»

CUMQUE VENISSET (ex Gabaon, ubi a Deo postulaverat sapientiam et impetraverat) JERUSALEM, STATIT CORAM ARCA FØDERIS DOMINI, ET OBTULIT HOLOCAUSTA — in gratiarum actionem pro tanto sapientie dono sibi a Deo indito. Arca enim erat in Sion, tabernaculum vero et altare in Gabaon, uti dictum est vers. 4.

46. TUNC VENERUNT DUE MULIERES MERETRICES AD REGEM. — Deo ita disponente ad Israeli patet factum Salomonis sapientiam illi paulo ante ab eo inditam, per soletem litem meretricium direptionem. Pro meretricibus Hebræice est מְרִיצוֹת *meritot*, quod Chaldaeus verit, *tabernaculis* sive canopas: zona enim, sive meretrix, dicitur illa, quæ meretur prostitudo vel adulia, vel operas, vel corpus, qualis est caupona, lotrix, sarlix, texitrix, purpuraria quæ arte et officio suo victum lucratur. Et tales has duas fuisse censet nos Sanchez, quia meretrices proprie dicte vi suscipiunt filios ob vagum concubitum et seminum commixtionem, nam quilibet se prostituit: se-cus est de concubinis, quæ uni soli amasio adherent: hæ enim concipiunt perinde ut uxores.

Verum *S. Gregorius*, *Ambrosius*, *Prosper*, *Pineda*, *Salianus* et alii passim censent has duas fuisse meretrices proprie dictas, ut vertant *Septuaginta* et *Noster*; idque arguit quod maritorum nulla hic fit mentio, sed ipsæ per se litem contestantur. Meretrices enim, quia sunt avara, cupide, impudentes, iracunde, hinc pariter sullitigiosæ, imo multarum litium, rixarum, duellorum, eadum et bellorum causa, uti experientia quotidiana docet.

49. DORMIENS QUIPPE OPPRESSIT EUM, — quia scilicet volendo se incubat super infantem, eumque mole corporis sui suffocavit. Quocirca *Jue* Canonico vetatur ne matres cum infantibus dormiant, ob periculum oppressionis eorumdem, ut patet II, *Quest.* V, *Can. Constituit.*

CONTENDERANT CORAM REGE, — quia deierat testes alieque probationes et indicia, hinc vocis et clamoris contentione more suo certabant inter se hæ muliercule.

Allegorice, due hæ mulieres representant *Synagoga* Judæorum et *Ecclesiam* Christianorum, quæ inter se contendunt de puero *Jesu* et *Messia* vivo et vero: sed *Salomon*, id est *Christus*, idem dirimit dicens *Matth.* cap. x: «Non veni pacem mittere, sed gladium.» Veni enim dividere lege-

et gratiam, Judæos et Christianos, fideles et infideles, uti pulchre docet *S. Hieronymus*, *epist.* 431 *ad Rufinum*, ubi et addit *Salomonem* hoc iudicium peregrisse anno ætatis sue duodecimo, hoc enim regnare coepisse; sed superius ostendi id factum anno ætatis vigesimo.

Rursum representant *Ecclesiam Catholicam*, et hæresim *Arianam*, *Nestorianam*, et cæteras, quæ *Christum* dividunt in duos, ut alius in eo sit Deus, alius homo, ac veros fideles qui sunt vivi *Ecclesie* filii, sibi arrogare et ad suam hæresim pertrahere, ideoque perdere et interimere satagunt. Ita *S. Augustinus*, *serm.* 200 *De Temp.*: «Impia, ait, et crudelis hæresis clamat ut dividatur. Quid est dividatur, nisi non Filius æqualis sit Patri? dum enim filio subtrahit æqualitatem, et bonum omnipotentemque denegavit Patrem. Deus enim Pater si potuit filium sibi similem gignere et noluit, non est bonus: si voluit, et non potuit, non est omnipotens.» At vera mater, scilicet *Ecclesia* *Catholica* clamat: «Date illi puerum, et nolite dividere eum. Filius meus est, sed melius apud illum migret natus, migret lotus, tamen apud me maneat maternus affectus. Date illi puerum, non auferantur vota membrorum, illius integritas non dividatur, ne mihi pietas auferatur. Quod dicit: Date illi puerum et nolite dividere, ecce et ego dico. Totum posside, et noli dividere Deum.» hæc ad verbum ex *S. Augustino* transcripsit *Angelomus*, *Eucherius* vel potius *Beda*, et *S. Prosper*, lib. *De Prædest.*

Tropologice *S. Gregorius*, lib. XXI *Moral.* cap. viii, per duas has mulieres accipit veros et falsos doctores: veri enim et boni discipulorum salutem, falsi et mali suam gloriam et luera querunt, cum discipulorum perditione. «Quia nimirum, ait *S. Gregorius*, magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicant facere negligunt, per somnum torporis occidunt, et negligendo opprimunt, quos alere verborum lacte videbantur. Unde plerumque dum ipsi reprehensibiliter vivunt et habere discipulos vite ludibialis nequeunt, alienos sibi atrahere conantur: quatenus dum bonos se habere sequaces ostendunt, apud iudicia hominum excusent mala que agunt, et quasi per subditorum vitam morifera legunt negligentiam. Uade illic mulier filium, quia extinxit proprium, qua-avit alienum: sed tamen veram matrem *Salomonis* gladius invenit; quia videlicet ejus fructus vivat, vel ejus intereat, extremo examine ira districti iudicis demonstrat.» Solertè deinde advertendum monet *S. Gregorius*, «a quod vivens filius, prius dividit præcipitur, ut soli postmodum matri reddatur: quia in hac vita quasi partiri conceditur vita discipuli, dum ex illa nonnunquam alter apud Deum meruit, alter vero apud homines laudem habere permittitur. Sed falsa mater eum quem non genuit, occidi non metuit: quia arrogantes magis-

tri et charitatis ignari, si plenissimum nomen laudis ex alienis discipulis consequi nequeunt, eorum vitam crudeliter insequuntur. Invidios enim face successi, nolunt aliis vivere, quos se conspiciunt non posse possidere.» Eadem ex *S. Gregorio* transcripsit *Angelomus* et *Eucherius*.

Symbolice *S. Ambrosius*, lib. III *De Virginitate*: «Duc, ait, mulieres sunt fides et tentatio, quæ postquam posteritatem suam carnalis vitio conversationis et somno mentis amisit, posteritatis fructus auferre conatur alienæ. Itaque dum tentatio litigat, fides fluctuat, donec machæra Christi latentis distinguat affectus. Quæ est hæc machæra Christi? illa de qua scriptum est: Gladium veni mittere in terram. Est enim gladius de quo scriptum est: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quis autem sit hic gladius, quæ machæra, cognosce: Verbum, inquit, acutum et validum, et penetrabilis omni gladio acutissimo, penetrans usque ad divisionem animæ et spiritus artuumque et medullarum.»

23. DIVIDITE (inquit) INFANTEM VIVUM IN DUAS PARTES, ET DATE DIMIDIAM PARTEM UNI, ET DIMIDIAM PARTEM ALTERI. — Dixit hoc *Salomon* non serio ut ferens sententiam, sed simulate, ut exploraret in utra resideret maternus affectus, ut illi filium vivum adjudicaret: nec enim alia probatio, aut aliud medium litem hanc decidendi suspellebat. Nam a natura insita est matri arcanus erga prolem suam amor et commiseratio, quæ expers est illa quæ non est mater. Naturam ergo hic interrogavit *Salomon*, et illa respondens matrem genuinam suo affectu monstravit. Nam, ut ait *S. Ambrosius*, lib. III *De Spiritu Sancto*, cap. vii: «Consideravit *Salomon* quod vera mater plus consuleret filio quam solatio, et gratiam juri, non gratie jura præferret. At vero illa quæ matris simularat affectum, vincendi studio circa parvum deceret ejus exitum, in quo nesciret pietatis dispendium. Itaque vir ille spiritualis qui dijudicaret omnia (spiritualis enim dijudicat omnia) naturam in affectibus quasivit, quæ latebat in vocibus, et pietatem interrogavit ut proderet veritatem. Vicit itaque mater charitatis affectu, quo fructus est spiritus.»

Dices: matri vere injiciebatur hic metus iniquus dissectionis filii. Respondeo id necessarium erat hoc loco et tempore ad bonum matris; ut scilicet hæc ratione perpetua litem cum sua æmula, et juri periculo perdendi filium liberaretur, quod longe majus ei erat malum. Quare melius erat illam modico tempore hunc metam pati, ut per eum mater esse agnosceretur, eique filius suus redderetur.

Simili indicio veritatem veramque matrem vel patrem explorarunt et deprehenderunt imperatores. *Claudius* enim *Cæsar*, ait *Suetonius* in ejus *Vita*, cap. xv, «femina non agnoscentem filium suum, dubia utrimque argumentorum fide, ad confessionem compulsi, indicto matrimonio juvenis;» eo enim negato, quod horrebat natura,

filium agnovit. Claudius igitur matrem negantem quendam juvenem, qui vere ei filius erat, proprium filium esse, coegit ad confessionem veritatis indicio ei cum ipso juvene matrimonio. Carolus item Magnus certus quod vel pater vel filius, quos captos detinebat quemdam occidisset, incertus tamen uter eorum id fecisset, jussit utrumque suspendi. At cum pater, qui vere deliquerat, nullam videret redemptionis spem, fassus est et agnovit propriam culpam, et ita filium ab imminente supplicio liberavit. Ita ex vita Caroli refert Joannes Molanus, Doctor Lovaniensis, lib. I *De fide hæret. sermone*, cap. viii, et Martinus Delrio, tom. III *Disquis. Magic.* lib. IV, in præamb. et Andrea Barbatio in cap. *Præsenti*, de Probatione.

Tertio, hoc Salomonis iudicium imitatus est Alphonsus, rex Aragonum, qui, ut scribit Antonius Panormitanus in *ejus Gestis*, lib. II, cap. xxxix, cum serva quædam ex hero suo concepisset, et filium peperisset, ideoque ex lege Hispaniensis ad liberatam proclamaret: hanc vero ne matre cum filio privaretur, negaret puerum ex se natum, de crevit ut infans sub hasta venderetur, cumque uni qui majus pretium obtulerat infans traderetur, pater pietate naturali victus a lacrymis temperare non potuit, et suum esse filium fassus est. Quare rex et patri filium, et debitam matri libertatem illico adjudicavit.

Huc pertinet iudicium Ariopharnis, regis Thracie, qui cum tres Cimæriorum regis filii de paterno regno alterearentur, jussit patris cadaver e sepulcro extractum arbori alligari, et eos arcu contendere, ut qui patris cor transigeret, ei in regno succederet. Primogenitus guttur transiit, secundus pectus; tertius junior, sed plentior, noluit in cor patris jaculari, dicens impium esse cor patris transigere. Itaque huic Thrac regnum adjudicavit. Hoc exemplum recenset *Theatrum vite humanæ*, vol. VII, lib. IV, post initium, ac auctorem citat Diodorum, lib. XX: sed Diodorus præter nomina Ariopharnis et filiorum regis Cimæriorum nil tale habet; quare mihi ipsimum de fide historica suspectum et mythicum videtur.

26. DIXIT AUTEM MULIER CUIUS ERAT FILIUS VIVUS AD REGEM (COMMOTA SUNT QUIPPE VISCERA EJUS SUPER FILIO SUO): OBSECRO, DOMINE, DATE ILLI INFANTEM VIVUM, ET NOLITE INTERFICERE EUM. E CONTRARIO ILLA DICERAT: NEE MIHI, NEG TIBI SIT, SED DIVIDATUR. — Hinc patet hanc non tantum falsam fuisse matrem, sed etiam invidia et odio laborasse in veram matrem, ideoque petiisse ut ejus filius occideretur, sicut suus erat mortuus: alioqui enim petiisset sibi servari infantem, cum mater vera illum ei dari a rege postularet, ne filius suus occideretur. Voluit ergo ut filius ejus moreretur, sicut suus filius erat mortuus. Ita Abulensis. Audi S. Ambrosium, lib. III *De Virg.*: « Quo audit illa que petebat alienum non solum acquievit, sed etiam divisonem parvuli deposcit nullo affectu commota materno. Illa que suum sciebat infantem,

non vinci metuens, sed orhari: nec jam solatio suo proprio, sed pignori suo consulens orare cepit, ut incolumis magis pater traderetur alienis, quam sectus in partes matri proprie redderetur. Unde Salomon qui non majestatem divinam, sed argumentis ut homo inferiorum interrogabat affectum, illi potius judicavit parvulum esse reddendum, quam veram matrem dolor proprius prodidisset: illam vero, quam moriuri parvuli misericordia non movebat exortem pronuntiavit esse nature, quam exoritur vidit esse pietatis. Veritas ergo non latuit, sed tamen per simulationem alterius fluctuavit: diuque etiam bona mater eventum hæsit ambiguo, dum iudicii periclitatur incerto. »

Tropologica S. Gregorius, lib. XXI *Moral.* cap. viii, per duas has mulieres accipiens falsos et veros doctores: « Perversa mulier, inquit, clamat: Nec meus sit, nec istius. Ut enim diximus, quos sibi obsequi non vident ad gloriam temporalem, eos aliis invidere vivere per veritatem. Vera autem mater satagit, ut ejus filius saltem apud extraneam sit, et vivat; quia concedunt veraces magistri, ut ex eorum discipulis alii quidem magisterii laudem habeant, si tamen ineligitatem viam iidem discipuli non amittant. Per que pietatis viscera hæc eadem vera mater agnoscit, quia omne magisterium in examine charitatis approbat: et sola recipere totum meruit, qua quasi totum concessit, quia fideles prepositi pro eo quod ex bonis discipulis suis non solum alii laudem non invident, sed utilitatem eis etiam profectus exorant ipsi et integros et viventes filios recipiunt, quando in supremo examine eis eorum vita perfecte retributionis gaudia consequuntur. »

Simili modo, sed dissimili affectu, et dispari effecta mater Antonini Caracallæ et Gæte Cesarum, ait Herodianus, ut eos discordes et imperium dividentes uniret, se ab illis dividi postulavit, ut uterque eorum sui partem in eo regno haberet. Sed frustra; Caracalla enim metuens fratrem suum Gætum, utpote populo gratum, eum in sinu matris occidit, atque ut scelus velamine pietatis tegeret, eum inter Divos retulit dicens: « Ut non sit vivus, sit Divus. »

27. RESPONDIT REX ET AIT: DATE HUC INFANTEM VIVUM, ET NON OCCIDATUR: NEC EST ENIM MATER EJUS. — Natura enim et naturalis compassio certo indicat hanc esse matrem. Vide hic solertiam et sapientiam Salomonis. « Itaque non immerito, ait S. Ambrosius, lib. II *De Offic.* cap. viii, estimatus est intellectus Dei in eo esse, in quo occulta sunt Dei. Quid autem occultius quam interiorum viscerum testimonia, in que sapientis intellectus, velut quidam pietatis descendit arbiter, et velut quamdam genitalis alvi vocem eruit, qua maternus patuit affectus qui elegerat filium suum vel apud alienam vivere, quam in conspectu matris necari. Sapientia igitur fuit, latentes distinguere conscientias, ex occultis eruere veritatem, et velut quædam machæra, ita spiritus gladio pe-

netrare non solum uteri, sed etiam animæ et mentis viscera. Justitie quoque, ut que sum necaverat, alienum non tolleret, sed vera mater reciperet suum. Denique etiam Scriptura hoc pronuntiat: « Audivit, inquit, omnis Israel hoc iudicium quod Judicavit rex; et timerunt a facie regis eo quod intellectus Deo in eo esset ut faceret justitiam. »

CAPUT QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Recessunt, vers. 1, officiales et principes Salomonis, et vers. 7, præfecti annorum 12 per singulas tribus. Mox, vers. 20, Israelis pax et felicitas, ac Salomonis quotidiana impense, regni amplitudo, opulentia, magnificentia, præsertim eorum et curiam. Denique, vers. 29, ejus sapientia, parabola, carmina et libri.

1. Erat autem rex Salomon regnans super omnem Israel, 2. et hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc sacerdotis; 3. Elihophet et Ahia filii Sisa scribæ; Josaphat filius Ahilud a commentariis; 4. Banaias filius Joiada super exercitum; Sadoc autem, et Abiathar sacerdotes. 5. Azarias filius Nathan, super eos qui assistebant regi; Zabud filius Nathan sacerdos, amicus regis; 6. et Ahisar præpositus domus, et Adoniram filius Abda super tributa. 7. Habebat autem Salomon duodecim præfectos super omnem Israel, qui præbebant annonam regi et domui ejus; per singulos enim menses in anno, singuli necessaria ministrabant. 8. Et hæc nomina eorum: Benhur, in monte Ephraim; 9. Bendecar, in Maoces, et in Salehim, et in Bethsames, et in Elon, et in Bethanan; 10. Benhesel in Araboth: ipsius erat Socho, et omnis terra Ephraim; 11. Benadinab, cujus omnis Nephathdor, Taphet filiam Salomonis habebat uxorem; 12. Bana filius Ahilud regabat Thanac et Mageldo et regione Jecmaan; 13. Benest juxta Sarthana subter Jezrael, a Bethsan usque Abelmehula et regione Jecmaan; 14. Benest juxta Sarthana subter Jezrael, a Bethsan usque Abelmehula et regione Jecmaan; 15. Achimaas in Neptali; sed seras areas; 16. Baana filius Husi, in Aser, et in Baloth; 17. Josaphat filius Pharae in Issachar. 18. Semei filius Ela, in Benjamin; 19. Gaber filius Uri, in terra Galaad, in terra Schon regis Amorrhæi et Og regis Basan, super omnia que erant in illa terra. 20. Juda et Israel innumerabiles, sicut arena maris in multitudine, comierant in illa terra. 21. Salomon autem erat in ditioe sua habens omnia que erant in illa terra. 22. Erat autem cibus Salomonis per dies singulos, et viginti boves pasturiginta cori similia, et sexaginta cori farine, 23. decem boves pingues, et viginti boves pasturiginta cori similia, et sexaginta cori farine, excepta venatione cervorum caprearum, atque bubalorum, et cæles, et cantum arietes, excepta venatione cervorum que erat trans flumen, a Thapsa avium altitum. 24. Ipse enim obtinebat omnem regionem que erat trans flumen, a Thapsa avium altitum. 25. Ipse enim obtinebat omnem regionem que erat trans flumen, a Thapsa avium altitum. 26. Et habebat pacem ex omni parte in usque ad Gazan, et cunctos reges illarum regionum; et habebat pacem ex omni parte in circuitu. 27. Habitabatque Juda et Israel absque timore ullo, unusquisque sub vite sua, et sub ficu sua, a Dan usque Bersabee, cunctis diebus Salomonis. 28. Nutriquadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium. 29. Nutriquadraginta millia præsepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium. 30. Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium et littore maris.

Ægyptiorum, 31. et erat sapientior cunctis hominibus, sapientior Ethan Ezraha, et Heman, et Chalcol, et Dorda filiis Mahol; et erat nominatus in universis gentibus per circuitum. **32.** Locutus est quoque Salomon tria millia parabolas, et fuerunt carmina ejus quinque et mille. **33.** Et disputavit super lignis, a cedro quæ est in Libano usque ad hyssopum quem egreditur de pariete, et disseruit de jumentis, et volucribus, et reptilibus, et piscibus. **34.** Et veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terræ, qui audiebant sapientiam ejus.

4. SADOQ AUTEM ET ABIATHAR SACERDOTES, — scilicet summi, id est pontifices. Dices: Salomon jam ablegarat Abiathar, eumque pontificatu privarat, cap. II, vers. 27. Respondeo, recensentur hic omnes officiales Salomonis, sive qui jam tum erant, sive qui fuerant, sive qui futuri erant, ut patebit vers. 11 et 13. Voluit enim eos omnes Scriptura hic simul enumerare. Nominat ergo Abiathar, quia in tempore Davidis fuerat Pontifex, eumque ut sibi fidelem David Salomoni commendarat: sed quia ipse cum Adonia contra Salomonem conspirarat, hinc eum Salomon pontificatu privavit. Ita Abulensis. Alii respondent Abiathar ab exilio a Salomone revocatum, non ad pontificatum, sed ad simplex sacerdotium, uti Deus mandando prædixerat ejus abovo Heli, I Reg. II, 36: « Patrum est ut quicumque remanserit in domo tua, etc. », dicit: Dimitte me ad unam partem sacerdotalem. Ita Theodoretus et Procopius. Tertio, Saceris respondet Abiathar vocari sacerdotem, quia fuerat sacerdos.

5. ZABUD FILIUS NATHAN SACERDOS, — id est princeps intimus regi, ut vertunt Septuaginta. Sic filii David vocantur sacerdotes, id est aule principes et proximi regi, II Reg. cap. VIII, vers. ultim.

11. THAPHA FILIAM SALOMONIS HABERAT UOXEM, — Est prolepsis, necdum enim eam habebat, sed postea habuit. Nam Salomon hoc tempore erat duntaxat 20 annorum circiter. Unde non poterat habere filiam quæ esset nubilis. Idem dico de Achimaas, qui alteram habuit Salomonis filiam vers. 13. Recensentur enim hic omnes officiales et principes Salomonis simul, sive qui tum erant, sive qui postea facti sunt, uti dixi vers. 4.

20. JUDA ET ISRAEL INNUMERABILES SICUT ARENA MARIS, — q. d. Tempore Salomonis crevit tribus Juda et eorunde undecim tribus Israelis in innumeralem quasi multitudinem: cræque tum summa rerum omnium abundantia, ita ut omnes in suis opibus et deliciis gauderent et exultarent. Allegorice regni Salomonis felicitas representavit felicitatem summam regni Christi in Ecclesia per gratiam, in celo per gloriam.

21. SALOMON AUTEM ERAT IN DITIONE SUA HABENS OMNIA REGNA A FLUMINE TERRÆ PHILISTIM, USQUE AD TERMINUM ÆGYPTI. — Querens, quodnam sit flumen terræ Philistim? Primo, Gaspar Sanchez censet esse mare Philistinorum, huic enim adjacent Philistini. Secundo, Abulensis censet esse Rinocoluræ rivum, qui determinat Philisteam ab

Arabibus. Tertio, alii censent esse Jordanem, vel potius originem Jordanis in Libano: ubi oriuntur duo rivi Jor et Dan; qui mox confluentes faciunt Jordanem. Vero dico flumen hoc esse Euphratem. Nam terra Philistim non est referendum ad flumem, ut patet ex Hebræo (in Hebræo enim est נהר *nahar* in absoluto, non נהר *nehar*, uti esse deberet in regimine genitivi, si regeret gentium terræ) sed ad regna, q. d. Salomon obtinebat omnia regna terræ Philistim, a flumine, id est quæ interjacent a flumine Euphrate usque ad terram Philistin inclusive, sive Salomon obtinebat omnia regna regionum includendo a flumine Euphrate usque ad terram Philistin. Multum dicitur terra, quam usque ad terram; tum ut indicet in terra Philistinorum non fuisse finitum regnum Salomonis, sed per illam extensum usque ad fines Ægypti, q. d. a flumine tendendo per terram Philistin usque ad fines Ægypti; tum quia loquitur concise, et ex aliis Scripturæ locis quasi pervulgatis, concise terminos regni Salomonis a Deo promissos consignat. Scriptura enim terminos terre sanctæ Judæis promissos assignat flumen Euphratem ab Oriente, et Philistin ab Occidente, Ægyptum a Meridie. Hoc enim promisserat Deus Abraham, Genes. xv, 18, dicens: « Simini ino dabo terram hanc a fluvio Ægypti usque ad fluvium magnum Euphratem. » Itaque se explicat Auctor hujus libri Regum mox vers. 24, dicens: « Ipse enim obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen, a Thapsa usque ad Gazan, » quæ est ultima satrapia Philistinorum. Ita clare non tantum intelligit, sed et legit S. Augustinus in Quest. in Josue, Quest. XXI: « Et erat dominans, inquit, in omnibus regibus a flumine usque ad terram Philistin, et usque ad fines Ægypti. Ecce ubi impletum est, quod in Genesi Deus ad Abraham loquens promittensque prædixerat. A flumine quippe hic intelligitur ab Euphrate. » Neque enim de Jordane hic accipi potest, cum et circa Jordanem, et ultra Jordanem jam terras Israelite obtinerent etiam ante regnum Salomonis. Sic et Chaldaeus, a Perath (id est Euphrate), inquit, terræ Philistin, usque ad fines Ægypti. Sic et Benedictus: A flumine terræ, inquit, id est, usque ad terram Philistin. Et Isidorus clarus: A flumine usque ad terram Philistin. Sic et Lyranus ac Mariana Vatablus: A flumine et terra Philistinorum usque ad Ægyptum. Dat enim hic tres terminos regni Salomonis, scilicet Euphratem ab

Oriente, Philistin ab Occidente, et Ægyptum a Meridie, ut dixi.

22. ERAT AUTEM CIBUS SALOMONIS (hoc est aule, sive aulicorum, puta principum, assecularum et famulorum Salomonis) TRIGINTA CORI SIMILÆ ET SEXAGINTA CORI FAVINÆ, DECEM BOVES PINGUES, ET VIGINTI BOVES PASCUALES (aliti et saginati in pascuis) ET CENTUM ARIETES. — Hinc patet multitudo eorum quos alebat Salomon, ejusque magnificentia. Simila est flos, sive albiior et purior farina tritici, ex qua fit panis similiganeus et delicatus, de qua Martialis, lib. XIII:

Non poteris simula dotes numerare nec usas.

Et Plinius, libro XVIII, cap. x: « Similago ex tritico fit laudatissimo. Ex Africo justum est e modis redire seminodios, et pollinis sextorius quinque. Ita enim appellant in tritico, quod florem in siligine. » Unde Seneca, epist. 119: « Utrum panis hic, inquit, plebeius sit, an similiganeus ad naturam nihil pertinet. » Sic nobiles rustici triticum et siligine. Porro corus est mensura continentis modios Romanos triginta. Vide dicta De Mensuris, in fine Pentateuchi.

EXCEPTA VENATIONE CERVORUM, CAPREARUM ATQUE BUBALORUM. — Bubalus hic non est is quem vulgus *Buffalum* vocat, animal stolidum et pauperum cibus, cum hic inter delicias cervorum et caprearum venatione captus ponatur. Unde bubulum esse a caprearum genere assertit Oppianus, lib. II De Venatione. Et Plinius, lib. VIII, ait: « Africam gignere bubalos, vituli, cervæ potius similitudine, bobus autem sylvestribus imperitum vulgus nomen bubalorum imponere. » Hebraice capram *Yachmur*, quod Rabbini Jona vertit, *capram magnam*; Tigurina, *ibicem*, alii, *damam*; alii, *hircum sylvestrem*.

24. IPSE ENIM OBTINEBAT OMNES REGIONES TRANS FLUMEN A THAPHA USQUE AD GAZAN. — Thapsa opponitur hic Gazæ; unde videtur sita fuisse juxta Euphratem. Hic enim limitabat regnum Salomonis ad Orientem, sicut Gaza ad Occidentem. Nonnulli suspicantur Thapsa esse illam quæ Tharsacus dicitur a Ptolemaeo, Strabone, Xenophonte et Stephano. Alia fuit Thapsa cis Jordanem, cuius incolas Manahem occidit, IV Reg. xv, 16. Hinc videtur Salomon regnasse ultra flumen, scilicet ultra Euphratem, ac partem Mesopotamiæ obtinuisse, a Thapsa scilicet usque ad Gazam.

25. ET HABEBAT SALOMON QUADRAGINTA MILLIA PRÆSEPIA EQUORUM CURRILICÆ, ET DUODECIM MILLIA EQUORUM IN PRÆSEPIIS. — hoc est, habebat 40 millia equorum in præsepis. Sic enim explicatur II Paralip. IX, 25: « Habuit, inquit, Salomon quadraginta millia equorum in stabulis, et currum equitum (quæ tum ad pompam, tum ad bellum) duodecim millia. » Est hypallage: « Habebat præsepia equorum, » id est habebat equos in præsepis, sive in equilibus. Aut certe per « præsepia, » intelligit

septa, quæ in equili cuique equo ad manducandum assignantur: præsepium enim commune in varia septa, quæ cuique equo deputantur, dividitur, ut unus equus ab alio sive muro exiguus, sive trabe interjecta separatur, ne equi vicini septum et pabulum invadant, cum eoque pugnet et calcetret. Ita Vatablus.

Porro II Paral. IX, 25, in Hebræo jam est: *Habebat Salomon quatuor millia præsepium*, quia scilicet in quolibet præsepi sive equili habebat decem equos, ita ut universim haberet 40 millia equorum currilium, ut vertit Noster et Septuaginta. Nam quatuor millia multiplicata per decem faciunt 40 millia. Ita Vatablus.

Curriles equi vocantur, qui currus trahunt, equestres qui equitem sustinent. Currilibus tot opus habuit Salomon ad vehendum suas reginas, quas habuit 700, et concubinas, id est secundarias uxores, quas habuit trecentas. Item ad annonam, aquam, ligna, lapides, etc., ad fabricam templi et palatiorum suorum convehenda. Equestribus ad milites et equites, item ad principes et famulos honorarios, qui in iis se honoris et magnificentie causâ stiparent et comitentur.

Censent nonnulli Salomonem in copia tot equorum peccasse contra legem Deuter. cap. xvii, 16: « Cum fuerit constitutus rex, non multiplicabit sibi equos, » sed magis peccavit in causa, scilicet in multiplicatione tot reginarum et uxorum, tantoque fastu et pompa regia, quam alere debebat populus. Unde et murmuravit contra Roboram Salomonis filium, imo ab eo defectit ad Jeroboam, ut audiemus cap. xxii, vers. 4. Abulensis tamen excusat Salomonem a peccato, saltem graviore, quod bona intentione id fecerit, et ob necessitatem, idque in rerum omnium abundantia et summa opulentia. Volebat enim Deus in Salomone suam et Israelis gloriam et magnificentiam toti mundo ostendere.

29. DEDIT QUOQUE DEUS SAPIENTIAM SALOMONI ET PRUDENTIAM MULTAM NIMIS, ET LATITUDINEM (Chaldaeus, dilatationem) CORDIS, QUASI ARENAM, QUÆ EST IN LITTORE MARIS. — « Latitudinem cordis » vocat magnificentiam et magnanimitatem, puta cor regium, amplum, magnificum, magnanimos; ad tantum regimen ac tanta onera et opera, fabricarum præsertim, magno animo sustinenda; et superanda, ut sicut arena plurima est et latissima se porrigit, sic et cor Salomonis plurima etiam minutissima complecteretur, et ad omnia que mente concipiebat opere exercebunt sese extendere. Parum enim prodest multa mente concipere et intelligere, nisi adsit virtus et strenuitas ad ea in praxim redigendum.

31. SAPIENTIOR ETHAN. — Hic Ethan fuit insignis poeta et musicus, ut patet I Paralip. xv, 19; unde et Psalm. LXXXVIII, hoc titulo prænotatur: « Intellectus Ethan. »

32. LOCUTUS EST (dictavit et scribi fecit) quoque SALOMON TRIA MILLIA PARABOLAS. — Partem earum

habemus in *Proverbiis*, ubi a cap. x incipiunt parabole, et se porrigunt ad libri finem per versus 638, qui totidem quasi continet parabolas.

ET FUERUNT CARMINA EIUS QUINQUE ET MILLE. — *Atabius, quinque super mille.* Sic et Hebræus, Chaldaeus et Josephus, *g. d.* Liber Odorum Salomonis continebat mille odas et quinque. Septuaginta vero vertunt, *erant carmina eius quinque millia.* Hinc patet Salomonem fuisse Poetam. Poesis prisca Hebræorum intercidit: nec jam numeros carminis in psalmis aliisque carminibus advertimus, nisi in rhythmo.

33. ET DISPUTAVIT SUPER LIGNIS A CEDRO QUE EST IN LIBANO, USQUE AD HYSSOPUM QUE EGREDITUR DE PARIETE. — hoc est a maximis usque ad minimas. « Hyssopum » hic intelligit parietariam, quam nonnulli apud Abulensem vocant origanum vel spartum. Levinus Lemnius, cap. XVII *De Herbis*, et Pineda vocant adianthum, Serarius saturiam, quæ idcirco Arabice nuncupatur *tsatar*.

ET DISSERUIT DE JUMENTIS, ET VOLUCRIBUS, ET REPTILIBUS, ET PISCIBUS. — Verisimile est hæc olim in libris fuisse conscripta, uti de iisdem nuper fuisse scripsit Ulysses Aldrovandus, Conradus Gesnerus, Gulielmus Rondeletius, Julius Scaliger et alii. Verum hæc omnia pene intercederunt tot sæculorum intervallo, præsertim quia tum non erat typographia, sed pauca exemplaria manuscriptorum duntaxat, quæ facile intereunt. Sic et intercederunt omnia Patriarcharum et Sapientum Hebræorum, Egyptiorum, Chaldaeorum, Arabum, Græcorum scripta ante Moysen, eujus fere solus ex prisco illo ævo libri et scripta exstant. Addit Abulensis Dei providentia eos interisse, eo quod ni-

mis curiosa contineret, vel quod nos tanta scientiarum luce, quam ipse per revelationem acceperat, indigni essemus. Glossa censet eos combustos fuisse a Chaldaeis; Eusebius vero, et ex eo Glyceas ab Ezechia rege.

Hinc patet Salomonem tum privatim suos, tum publice omnes docuisse Physicam et scientiam rerum naturalium, hoc enim significat *disputavit et disseruit.* Ad hoc enim ipse edificavit scholam sive academiã in monte Sion, in qua ipse docebat, ut dixi *Prover. ix, 4*; unde ab eo suam doctrinam hauerunt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, teste Eusebio, S. Ambrosio, Clemente Alexandrino et alijs.

Addit Psellus Salomonem scripsisse libros de gemmis, et gentis sive demonibus evocandis, certo loco affigendis, et ad opera cogendis. Sed et magi nonnulli profertur Salomonis incantationes, clavikulam et anulum: verum hæc magica sunt et Salomone indigna. Vide Pinedam (1).

(1) 34. Et veniebant de cunctis populis ad audientiam sapientiam Salomonis, et ab universis regibus terre qui audiebant sapientiam ejus. — Subintelligo missi ab universis regibus qui aliquid audierant de summa ejus sapientia; quin etiam et multi reges, præter reginam Saba, de qua cap. x, venerunt videre Salomonem. Sic reginam apud Lietsæ scriptorem Sinesem, Moo-vang Imperatorem anno 1001 ante Christum, visitasse Sy-vang-mou, cujus regnum, juxta aliam scriptorem, Se ma-tien, qui scribitur 200 circiter annos ante Christum, ad occidentem maris Caspii erat positum, in Syria vel Arabia, et multos peritos artifices inde rediisse, nec non omnimodam scientiam circa res naturales reperasse (Gambij *Chronologia Sinesis*). Porro hæc omnia optime conveniunt Salomoni.

CAPUT QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Paciscitur Salomon cum Hiram de lignis et operariis ad fabricam templi.

1. Misit quoque Hiram rex Tyri servos suos ad Salomonem; audivit enim quod ipsum unxisset regem pro patre ejus, quia amicus fuerat Hiram David omni tempore. 2. Misit autem Salomon ad Hiram, dicens: 3. Tu scis voluntatem David patris mei, et quia non potuerit edificare domum nomini Domini Dei sui propter bella imminencia per circuitum, donec daret Dominus eos sub vestigio pedum ejus. 4. Nunc autem requiem dedit Dominus Deus meus mihi per circuitum; et non est satan, neque occursum malus. 5. Quamobrem cogito edificare templum nomini Domini Dei mei, sicut locutus est Dominus David patri meo, dicens: Filius tuus, quem dabo pro te super solum tuum, ipse edificabit domum nomini meo. 6. Præcipue igitur ut præcidam tibi servi tui cedros de Libano, et servi mei sint cum servis tuis; mercedem autem servorum tuorum dabo tibi quancumque poteris: scis enim quomodo non est in populo meo vir qui noverit ligna cedere sicut Sidonii. 7. Cum ergo audisset Hiram verba Salomonis, letatus est valde et ait: Benedictus Dominus Deus hodie, qui dedit David filium

sapientissimum super populum hunc plurimum. 8. Et misit Hiram ad Salomonem, dicens: Audivi quancumque mandasti mihi; ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedriis et abiegnis. 9. Servi mei deponent ea de Libano ad mare, et ego componam ea in ratibus in mari, usque ad locum quem significaveris mihi, et applicabo ea ibi; et tu tolles ea, præbebisque necessaria mihi, ut detur cibus domui meæ. 10. Itaque Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, et ligna abiegra, juxta omnem voluntatem ejus. 11. Salomon autem præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui ejus, et viginti coros purissimi olei; hæc tribuebat Salomon Hiram per singulos annos. 12. Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei; et erat pax inter Hiram et Salomonem, et percusserunt ambo fœdus. 13. Elegitque rex Salomon operarios de omni Israel, et erat indictio triginta millia virorum. 14. Mittebatque eos in Libanum, decem millia per menses singulos vicissim, ita ut duobus mensibus essent in domibus suis; et Adoniram erat super hujusmodi indictio. 15. Fueruntque Salomoni septuaginta millia eorum qui onera portabant, et octoginta millia latomorum in monte, 16. absque præpositis qui præerant singulis operibus, numero trium millium et trecentorum, præcipientium populo, et his qui faciebant opus. 17. Præcepitque rex ut tollerent lapides grandes, lapides pretiosos, in fundamentum templi, et quadrarent eos, 18. quos dolaverunt cæmentarii Salomonis et cæmentarii Hiram; porro Giblii preparaverunt ligna et lapides ad edificandam domum.

1. MISIT QUOQUE HIRAM REX TYRI SERVOS SUOS AD SALOMONEM, — ut ei quasi novo regi de inauguratione gratularetur. Litteras Hiram et Salomonis ex Archivis Tyriorum acceptas recenset Josephus et Eusebius apud Eusebium, lib. IX *De Præpar. Eorum* titulus est: *Saron Salomoni regi magno salutem*, ubi vocat eum regem magnum, quasi regem regum, ob sapientiam æque ac opes et potentiam. Hiram enim Hebræice et a Septuaginta vocatur *Chiram* vel *Charan*, quasi Chiron vel Tyrom, id est Tyriorum rex, ait Serarius. A Phœnicibus Hiram vocatur *Saron* (Tyrum enim Hebræice dicitur *סר* sor, id est petra, quia in rupes sita: unde *Sarranam* astrum vocatur Tyria purpura); a Theophilo Antiocheno, Hieronymus et Hieronymus, cujus filiam Salomoni nupsisse asserit Talianus. A Josepho, lib. VIII *Antiquit.* cap. II, et lib. I *Contra Apionem* vocatur Iromus Abibili filius.

4. ET NON EST SATAN, — *g. d.* Non est adversarius, non est mihi hostis, cum quo bella geram, vel qui me a fabrica templi impediatur.

7. BENEDECTUS DOMINUS DEUS HODIE QUI DEDIT DAVID FILIUM SAPIENTISSIMUM. — Hinc videtur quod Hiram partim ex familiaritate cum Davide, partim ex sapientia et felicitate Salomonis cognoverit Deum verum, quem ipsi colebat. Vocat enim eum *Jehova* (ut habent Hebræi), quod est nomen proprium Dei Moysis et Hebræorum. Hinc quoque strenue cooperatus est Salomoni ad fabricam templi Dei veri, mittendo tot millia operariorum, ligna, lapides; quod utique non fecisset, si ipse putasset Deum Salomonis non esse verum, sed falsum: pro templo enim edificasset idololum. Salfum fecit Seleucus rex Asia, *II Ma hab. iii. 3.* Antea enim Hiram colerat Heruleum et Astartem

deos Tyriorum, eisque templa edificarat, uti asserit Josephus, lib. I *Contra Apionem*. Forte etiam Hiram cum hisce diis suis patris simul coluit Deum Hebræorum, uti fecerunt Assyrii translati in Samariam, ut audimus lib. IV, cap. XVII.

Hinc Eucherius et Angelomus allegorice per Hiram intelligunt reges Gentium, ut Constantinum, Theodosium, Gratianum, Carolum, qui Christum et Apostolos, in edificanda et propaganda Ecclesia adjuverunt. Unde et Hiram vel Chiram Hebræice idem est quod *vita exorsus*, aut *vita celsitudo*; vel *principatus*, aut *nobilitas*, aut *candor eorum*, ait Pagninus in *Nominib. Hebr.*

10. ITAQUE HIRAM DABAT SALOMONI LIGNA CEDRINA ET LIGNA ABIEGNA, — scilicet cedros et abietes. Addit lib. II *Paral. ii. 8*: « Ligna arceuthina, » id est *juniperina*, ut vertunt Septuaginta, scilicet juniperos, quæ ibi in magnam altitudinem et crassitatem exarscunt, ut inde fiant trabes pro fabricis. Licet enim David ligna reliquamque materiam ad fabricam templi preparavit, ut dicitur I *Paralip. xxii. 14*, tamen hæc non suffecerunt Salomoni, majora, et plures fabricas palatiorum suorum mediantibus Ita Abulensis.

Allegorice, Eucherius et Angelomus a Conversa Gentilitas, inquit, misit ad Christum viros quosdam, et secundum sæculum claros, sed securi Domini in incerpationis, de monte sue superbie jam dejectos et humiliatos, qui ad normam evangelicæ veritatis instituti, in edificandam Ecclesie pro suo quisque merito vel tempore collocarentur. Misit etiam artifices: quia conversos ad veram sapientiam philosophos, qui gratia eruditionis populis quoque regendis juve præporentur, Domino Gentilitas obtulit, qualis viri ipsi Apostolorum temporibus Dionysius Areopagita, qualis

deinceps doctor suavissimus et fortissimus martyr Cyprianus, alique quamplurimi. Misit et aurum, quod in eadem pene significatione accipitur, quia nimirum viros sapientia et ingenio preclaros ostendit, pro quibus cunctis oblationibus Gentilitas a Deo dona expectat gratie coelestis.

Vers. 11. 11. SALOMON AUTEM PRÆBERAT HIRAM COROS TRITICI VIGINTI MILLIA. — Tyrus enim tunc erat insula et undique cineta mari, ut in ea nec seri nec meti posset. Unde Hiram petens a Salomone triticum in sua epistola apud Iosephum ait: « Tritico indigemus, quippe insulares sumus: » postea vero Tyrus a Nabuchodonosor per tredecim annos obsessa, comportatis in mare terræ aggeribus, ut adiri et expugnari posset, facta est Peninsula, ut dixi *Ezech.* XXIX, 17 et 18, et *Isaie* XXIII, 40.

Vers. 13. 13. ELEGITQUE REX SALOMON OPERARIOS DE OMNI ISRAEL, ET ERAT INDUCTIO TRIGINTA MILLIA VIRORUM. — Per « operarios » intellige primarios et artifices, vel prefectos operum. Nam, ut dicitur cap. IX, 22, « de filiis Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, et ministri ejus, et principes, et duces, et prefecti curruum et eorum. »

Vers. 15. 15. FEBRUNTQUE SALOMONI SEPTUAGINTA MILLIA FORUM, QUI ONERA PORTABANT, ET OCTOGINTA MILLIA LATONORUM IN MONTE, — hoc est lapidarum, qui lapides ex monte sive rupe exciderent. Hi enim non erant Israelitæ, uti jam dixi, sed proselyti, ut patet II *Paralip.* II, 17 et 18. Proselyti igitur hi erant Gabaonitæ ceterique Chanaanæ Hebræis subiecti, et ad judaismum conversi. Proselytorum ergo onera portantium et latonorum in fabrica templi erant universim 450 millia, Hebræorum vero triginta millia, ut dictum est vers. 13, quæ adde 150 millibus, fiunt 180 millia. His adijce Tyrios et Sidonios, quos Salomon ab Hiram postularat, ipseque ei submiserat, ut patet vers. 6 et 9, ac Ægyptios, quos Pharaon sociæ Salomonis ei destinavit, evadent ducenta millia et amplius eorum qui laborant in fabrica templi, imo, si credimus Eupolemo apud Eusebium lib. II *De Prepar.*, evadent trecenta et quadraginta millia: Eupolemus enim assertit Hiram misisse Salomoni octoginta millia Tyriorum, ac Pharaonem totidem millia Ægyptiorum, qui juncti faciunt 160 millia, quæ si addas 180 millibus a Salomone destinatis, fiunt 340 millia. Verum hic numerus videtur nimis et quasi incredibilis. Unde nonnulli opinan-

tur errorem esse in numeris Eupolemi vel Eusebii, ut octoginta millia irreperint pro octo vel octodecim millibus. Sub latomis, id est lapideis, intellige lignorum cæsores, sed hic latomi soli numerantur, quia erant plures lapideæ quam lignicidæ. Sic sub onera portantium intellige aurigas, nautas, muliones, agasones, etc.

16. ABSQUE PRÆPOSITIS, etc., NUMERO TRIUM MILIUM ET TRECENTORUM. — Dices: II *Paral.* II, dumerantur tria millia et sexcenti. Respondeo, ex sexcentis erant trecenti, qui ipsis præpositis præerant, quos addit et supplet liber *Paralip.* Ita Vatablus, Dionysius, Cajetanus et Salianus.

17. UT TOLLERENT LAPIDES GRANDES, LAPIDES PRE-
TIOSOS, IN FUNDAMENTUM TEMPLI. — Ergo hi lapides pretiosi non erant adamantes, carbunculi, smaragdi, sed marmorei: hi enim sunt duri et fortes, ut in fundamenta mittantur ubique fabricam omnem sustineant. Porro marmor est magni pretii et varii generis. Aliud enim dicitur Ophites, eo quod habet maculas instar serpentium: hoc enim est serpens. Aliud dicitur Porphyrites, quod rubeat, ac candidis punctis dispungatur. Aliud est Parium et album, aliud nigrum, aliud viride. Aliud dicitur sphengites, quod splendet et tralucet.

18. PORRO BIBLI PRÆPARAVERUNT LIGNA ET LAPIDES. — Putant nonnulli fabros hos dictos Giblos ab Hebræo גבול *gebul*, id est terminus, quod dolando lapides eos eleganti figura terminarent. Verum dico Giblos sive Biblos (littera enim g subinde commutatur cum littera b) dicit ab urbe Biblio, de qua Adrichomius, pag. 483, num. 11: « Biblio, inquit, sive Byblos, et Biblum, olim Eva seu Evæa, nunc Gibel, Giblæ et Bibleth dicta, inclitya Phœnicis civitas est, quæ Hebræice Gebal et Gobel; incolæ vero ejus Biblii seu Giblii in sacris litteris vocantur. Hæc versus Aquilonem a Cane fluvio tribus, contra Austrum vero a civitate Botro quatuor milliariibus super mare sita, ab Evæo sexto filio Chanaan fundata scribitur, de qua in tertio Regum libro hoc modo legitur. Porro Biblii præparaverunt (Salomoni) ligna et lapides ad ædificandam domum Domini. » Denique in Biblio erant Adonidis templa, ait Strabo, lib. XVI. Hodie Gaeta dicitur (1).

(1) Hodie ab Arabibus *Djebel*, vel *Djebel*, vel *Djebail* nuncupatur, inter Tripolim et Berytum sita, a Tripoli distans 55 kil.

CAPUT SEXTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Salomon fabricat templum.

1. Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in anno quarto, mense Zio (ipse est mensis secundus), regni Salomonis super Israel, ædificari cæpit domus Domino. 2. Domus autem quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat sexaginta cubitos in longitudine, et viginti cubitos in latitudine, et triginta cubitos in altitudine. 3. Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta mensuram latitudinis templi, et habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi. 4. Fecitque in templo fenestras obliquas. 5. Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, in parietibus domus per circuitum templi et oraculi, et fecit latera in circuitu. 6. Tabulatum quod subter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, et medium tabulatum sex cubitorum latitudinis, et tertium tabulatum septem habens cubitos latitudinis. Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, ut non hærerent muris templi. 7. Domus autem cum ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est; et malleus, et securis, et omne ferramentum, non sunt audita in domo cum ædificaretur. 8. Ostium lateris medi in parte erat domus dextræ, et per cochleam ascendebant in medium cœnaculum, et a medio in tertium. 9. Et ædificavit domum, et consummavit eam; texit quoque domum laquearibus cedrinis. 10. Et ædificavit tabulatum super omnem domum quinque cubitis altitudinis, et operuit domum lignis cedrinis. 11. Et factus est sermo Domini ad Salomonem, dicens: 12. Domus hæc quam ædificas, si ambulaveris in præceptis meis, et judicia mea feceris, et custodieris omnia mandata mea gradienti per ea, firmabo sermonem meum tibi quem locutus sum ad David patrem tuum. 13. Et habitabo in medio filiorum Israel, et non derelinquam populum meum Israel. 14. Igitur ædificavit Salomon domum, et consummavit eam. 15. Et ædificavit parietes domus intrinsecus tabulatis cedrinis, a pavimento domus usque ad summitatem parietum, et usque ad laquearia, operuit lignis cedrinis intrinsecus, et texit pavementum domus tabulis abiegnis. 16. Ædificavitque viginti cubitorum ad posteriorem partem templi tabulata cedrina a pavimento usque ad superiora, et fecit interiorem domum oraculi in Sanctum sanctorum. 17. Porro quadraginta cubitorum erat ipsum templum pro foribus oraculi. 18. Et cedro omnis domus intrinsecus vestiebatur, habens tornaturas et juncturas suas fabrefactas, et cælaturas eminentes; omnia cedrinis tabulis vestiebantur, nec omnino lapis apparere poterat in pariete. 19. Oraculum autem in medio domus, in interiori parte fecerat, et poneret ibi arcam fœderis Domini. 20. Porro oraculum habebat viginti cubitos longitudinis, et viginti cubitos latitudinis, et viginti cubitos altitudinis, et operuit illud, atque vestivit auro purissimo; sed et altare vestivit cedro. 21. Domum quoque ante oraculum operuit auro purissimo, et affixit laminas clavibus aureis. 22. Nihilque erat in templo quod non auro tegetetur; sed et totum altare oraculi texit auro. 23. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis. 24. Quinque cubitorum ala cherub una, et quinque cubitorum ala cherub altera; id est, decem cubitos habentes, a summitate alæ unius usque ad alæ alterius summitatem. 25. Decem quoque cubitorum erat cherub secundus; in mensura pari, et opus unum erat in duobus cherubim; 26. id est, altitudinem habebat unus cherub, decem cubitorum, et similiter cherub secundus. 27. Posuitque cherubim in medio templi interioris; extendebant autem alas suas cherubim, et tangebant alæ una parietem, et alæ cherub secundi